

5  
6  
7  
8  
9  
10  
11





1674.

1. Ansinck, Limbertus: De obligatione ex literis,  
commendatis
2. Baleman, Fredericus: De jure meliorationum competente  
emptori ex pacto revenden[t]i
3. Elwest, Philippus Jacobus: De servitutibus s. jurbus  
in alium territorio quaeritis.
4. Marxius, Johannes: De his, quae de perductione jure  
civili constituta sunt.
5. Obrechtus, Ulricus: Sacra terminum.
6. Rebban, Johannes: De iurejurando litis decisorio
7. Sachs, Christophorus Melchior: De orphanotrophio
8. Schude, Johannes: De jure naufragii colligendi.
9. Schilling, Fredericus: De approbatione medicorum.
10. Schult, Bartholdus Hieronymus: Saultis regimen  
antecedentea.
11. Stapkovt, Andreas: De alienatione actionum in potest.  
Lites.



1674.

12. Hocken, Gerardus von: De lege unica C. de mutat.  
nom.
13. Urbani, Abraham: De S. R. imperii Electoribus
14. Vesmer, Franciscus: De admiralitate
15. Villingen, Johannes Regulus: De principis. Sumpt
16. Waldschmidt, Johann Neudeck: De pacto remuneratio...
17. Wieger, Fridericus: De renovationibus banorum.

1675

1. Erasmi, Otto Johannes: De compensatione delictorum
2. Harlman, Franciscus Thomas: De salvo conductu judiciali
3. Haellss, Sigismundus Henricus: De libitum expensis, quas  
riches ob non iustam litigandi causam praestare  
tenentur.
4. Kaempffer, Johann Nicolaus: Quomodo in caesae majest  
tatis crimine procedatur et qui sint rebelles?  
Ad cons. Henrici VII Rom. Imp...



1675

5. Mejer, Conradus: De manu longa et brevis.
6. Wisetus, Guilielmus: De culpa ejusque natura in contractibus.
7. Brechtus, Ulricus: Excerpta historica ex actis comiti-  
um imp. Rom. Germanici de reservato ecclesiasticis.
8. Brechtus, Ulricus: Spaurus pacis sive de garantia.
9. Rau, David: De promissionibus in vim juramenti  
factis.
10. Rehn, Johannes: De statutis civitatum imperii libera-  
rum et immediatarum.
11. Rehn, Johannes: Quæstiones juridicæ.
12. Rehn, Johannes: Quæstiones ex libris hinc inde delibata  
Forum.
13. Salzman: Joh. Rudolphus: De taxa.



1675

14. Stocken, Gerardus von: De capitacione civium  
veneris eximenda. Disputatio ad l. un. Cod.

15. Stocken, Gerardus von: Quaestiones juris  
cellanae.


16. Hoenerus, Gottfriedus: Selectarum juris  
quodlibet  
de casu divitiarum.



Handwritten text on the left edge of the page, including the number '1' and some illegible characters.


















16

G. 78. num. 26. ~~V.~~  
~~P. 41~~

J. J.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
DE

1674, 1.

# OBLIGATIONE

EX  
LITERIS COMMENDATITIIS,

*Q V A M*

PRÆSIDE DIVINO NUMINE

*Autoritate & Decreto*

MAGNIFICI, AMPLISSIMI

ATQVE CONSULTISSIMI

JCTORUM ORDINIS

In

*Inclyta Argentoratensium Academia*

Pro

## LICENTIA

Summos in utroque Jure HONORES

ac Privilegia DOCTORALIA

rite consequendi


Solenni Eruditorum Examini

*Ad d. 22. Octobr. H. L. g. S.*

*sistit*

ZIMBERTUS AMSINCK

Hamburgensis.



ARGENTORATI,

Typis JOH. FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LXXIV.

P. 41.





DISSECTATIO IN ANATOMIA

OBBLIGATIONE

ALTIORIS COMMENTARIIS

TRISTITI DIVINO NUMINE

MAGISTRI G. AMPLISSIMI

ALTIORIS CONSULTISSIMI

LECTURUM ORDINIS

Insignis et dignissimi

LICENTIA

Summos in rebusque honores

et Praesidis

Solenne

ZIMMERIUS AMSTING

in

AMSTING

in

AMSTING







J. J.

## PROOEMIUM.



Uam Cajus Jctus in l. 2. §. ult.  
ff. mandat. & ex eo (arg. §. penult. proæm.  
Inst.) Imperator Sacratissimus in §. tua  
autem 6. Inst. eod. proponit rationem:  
cur ex consilio non detur actio manda-

ti, eandem & in nostris literis locum invenire, prima fronte vix negari posse videtur. Quidni enim liberum, & in arbitrio ejus, ad quem istiusmodi literæ feruntur, positum esse dixeris, explorare apud sese an tali commendationi fides sit habenda, nec ne? vid. Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 10. artic. 1. num. 4. Nam quod amicitiae vinculum attinet, ratione cujus, petitis alterius, honestis quidem, deferendum esse forsitan excipi posset; illud nos, præsertim in foro civili, de quo nobis sermo est, in tantum non ligare constat, ut propterea negotium aliquod, damnosum nobis, suscipere teneamur. Accedit quod hæc literæ sint potius adulatoriæ, quam dispositivæ, juxta Hering. in tract. de fidejussoribus. cap. 18. n. 10. in fin. Carpzov. part. 2. decis. 126. n. 7. item, quod aliud sit personam commendare, aliud voluntatem suam insinuare. l. fideicommissa. 11. §. 2. de legat. 3. add. Magnific. Dn. Rebhan. Amplissimi huius Collegij Juridici Senior gravissimus, Patronus noster & Præceptor omnino observantiae cultu etatem prosequendus in Hodogeta Juris chart.



chart. 3. clim. 4. parallel. 7. §. 18. in fin. exeges. p. 561. edit. noviss. ibi: *et alia verba*, intelligens etiam commendatoria, non sunt obligatoria. Commendandi enim verbo regulariter nihil aliud contineri dicunt DD. quam ut is, cui quis commendatur, humanitatis & benevolentiae officia commendato praestet, eumq; adjuvet. Carpzov. l. d. n. 6. Sigismund. Finckelthaus. *observ. pract.* 16. n. 2. fac. illud Macrobiani, quod Calvinus in Lexico sub voce commendatitiae refert: *accipe commendatitias, quia illic neminem nosti*. Alienum ergo ab intentione commendantis non est inducendum, actus enim agentium, ultra eorum voluntatem non sunt extendendi, arg. l. non omnis 19. pr. ff. de R. C. Carpzov. *Jurisprud. Forens.* p. 2. const. 20. def. 10. n. 3. & seq. Dn. Mev. l. d. n. 3. Taceo textus expressos, qui vim obligandi hujusmodi literis denegant. l. si vero non remunerandi. 12. §. cum quidam 12. vers. non obligabitur mandati, quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est. ff. mandati. l. ult. verb. neq; familiares epistolas, quibus homines plerumq; commendant absentem, in id trahere convenit, ut pecuniam, quam rogatus non fuerat, impendisse pro praedictis mentiatur. C. quod cum eo qui in alien. potestat. ubi vid. DD. in primis Bald. n. 1. & 2. add. Bartol. ad l. Lucius Titius ff. de fidejussoribus. Rutger. Ruland. de commiss. & commiss. p. 2. lib. 5. c. 14. n. 14. & seq. Mascard. de Probation. vol. 2. conclus. 628. n. 1. & 2. & c. 1008. n. 16. Nicolaus de Passeribus à Janua in tract. de Scriptura privata lib. 3. tit. de literis commendatitiis n. 2. & seqq. p. m. 523. edit. Francofurt. d. A. 1627. Benevenut. Stracchi. tract. de Asscurat. gloss. 11. n. 26. & 33. Köppen. decis. 36. n. 10. Verum enim verò hæc & similia non obstant nobis, modo in sano accipiantur sensu, i. e. regula ab exceptione distinguatur. De illa enim si intelligantur, ut omninò



omninò debent, quæ modo dicta sunt, nil vetat, quin  
 diversum circa hanc statuamus. Ita ipse Imperator, ut  
 in eodem maneamus exemplo, quod de consilio micro  
*in pr. d. §. 6.* negaverat, statim in fine ejusdem §. vers. *Et*  
*adeò.* restringit, ac de tali consilio, quod propter specia-  
 lem persuasionem, mandatum sub se continet, affir-  
 mat. Quamvis itaque literæ commendatitiæ genera-  
 les in favorem commendati potissimum scriptæ, non  
 producant obligationem, per tradita superius, nihilo-  
 minus tamen speciales, quæ commendandi terminos  
 quodammodo egrediuntur, hoc gaudere effectu cer-  
 tum est. Quod cum latius præsentis Dissertatione  
 Inaugurali deducere animus sit, sisto bono cum  
 DEO.

## Thesin I.

**O**bligationis verbum quid denotet, & quotupli-  
 cem in Jure nostro admittat sensum, cum inter-  
 pretes fusius tradant, lubens prætereo. videantur  
 ex multis Magnificus Dn. Rebhan. *d. tr. chart. 2. clim. 3.*  
*parallel. 11. §. 2. in exegef.* Magnific. Dn. Tabor. *in partit.*  
*element. part. 3. sect. 3. th. 5. & seqq.* Dn. Biccus *in Aureis*  
*sect. 4. th. 1.* C. J. A. *ad tit. de O. & A. th. 2.* Magnific. Dn.  
 Struv. *Syntagm. Jur. civ. Exercit. 46. th. 52. 53. & 54.* Ar-  
 noldus Vinnius *in comment. Academico & Forens. ad rubr.*  
*Inst. de obligat. n. 4. cum seqq.* Bernhardus Sutholt. *dis-*  
*sert. 12. aphor. 5. & seqq.* Sufficiat illud monuisse, nos  
 hoc loco veram & strictè dictam intelligere obligatio-  
 nem, quæ nimirum naturali & civili vinculo sustinetur,  
 & hinc mixta audit. vid. dd. Autores locis citatis. Cum  
 autem hæc tam à parte recipientis, quam scribentis  
 commendatitias intervenire possit, neque illud præter-



eundem erit, quod hanc potissimum nostram faciamus: quippe quæ propriè ex literis, quamvis non proximè, *vid. infr. th. 8.* oritur, & unicè in quæstionem venire solet. Quam ita describimus, quod sit *vinculum Juris ex literis commendatitiis certis casibus proveniens, quo scribens astringitur ad id, quod ratione literarum recipiens solverit, restituendum, una cum omni damno & interesse.*

II. Antequam tamen ulterius progrediamur, more disputantium solenni, in antecessum non nihil declarabimus, quid per dictas literas intelligamus.

III. Unde dicantur literæ, Philologis discutendum relinquo, sive enim à lituris, sive à lineaturis, sive aliunde nomen habeant, nobis perinde est, cui tamen volupe erit, videat Beccmann. *in origin. lingu. latin. & Lexico-graph. sub hoc vocab.* Nostrum erit, potius varios hujus termini significatus, quos in jure nostro imprimis deprehendimus, paucis annotare.

IV. Sumitur autem 1. in propria & genuina sua significatione pro elementis, *l. Lucius Titius 40. pr. ff. de testam. militar. l. milites 15. C. eod. l. sed si. 11. §. 3. ff. de instit. action.* & ita notis contradistinguitur: notæ enim non sunt literæ, *l. sed cum patrono 6. §. ult. ff. de bonor. poss. ubi vid. Dionys. Gothofred. in notis lit. R. qui etiam ad l. 33. pr. ex quibus causis majores. lit. D. multa notatu digna de eisdem congescit.* add. Calvinus *in Lexico sub h. v. qui ex Baldo notat, quod litera dicatur, quæ oculo corporeo legi possit.* 2. Pro epistola *l. si epistolam 65. pr. de A. R. D.* & hæc significatio est usitatissima, quam & nos impræsentiarum sequimur. 3. Pro chirographo, *arg. rubr. Inst. de literar. obligat. l. qui mutuam 56. pr. ff. mandati.* Dn. Struvius *Ex. 28. th. 23. n. 1.* 4. Pro instrumentis, documentis



aut testimoniis. *l. 65. ff. de Procurat. l. Divus Marcus. 14. vers. cum autem. ff. de offic. Præsid.* Ita testimonium de ortu legitimo communiter literas natalitias vulgò *Geburtsbrieffe* dicimus. Paulus Matthias Wehnerus *pract. Jur. observ. sub voc. Sunfft. p. m. 531. edit. Francofurt. d. A. 1673.* imò & nostræ commendatitiæ, si dixeris cum Nicol. de Passerib. *pag. 523. pr.* esse scripturas, per quas commendatio fit de vita & moribus alicujus (quam tamen descriptionem tanquam nimis universalem, & hinc à scopo nostro alienam, hac vice non agnoscimus) revera instar testimonii esse possunt. §. Hoc nomine interdum etiam veniunt Principum aut Magistratum.

**I. Rescripta,** *l. postquam heres. §. ult. ff. ut legator. nomin.* Sic rescripta moratoria, literæ Quinquennales seu induciales, nostro idiomate *Anstands brieffe* audiunt. Wehner. *d. tract. lit. A.* Wilhelmus Becker. *Synops. Jur. publ. lib. 2. c. 4. §. 6. p. m. 62. & lib. 3. c. 4. §. 18. vers. competit etiam. p. 173. pr.*

**2. Edicta,** qualia sunt, quibus Magistratus maleficos persequuntur, & edicunt, ut, ubi reperiuntur, in vincula ducantur, quæ literæ accusatoriæ, nostris *Stöck* vel *Steck* brieffe dici solent. De quibus remissivè Dn. Mevius *d. tract. lib. 1. art. 11. num. 30.*

V. Alterum terminum quod attinet, nemini obscurum esse arbitror, commendatitias à commendatione, quam imprimis intendunt, dici. Quæ vox quamvis in jure nostro plerumque idem denotet quod deponere, *l. Lucius Titius 24. cum l. 26. pr. ff. depositi. l. is penes quem 6. C. eod. l. commendare 186. de V. S. l. Et si quis 14. §. impensa. 4. de religios. & sumptib. funer. c. I. X. de deposito.* præsertim quando ad rem refertur Gothofred. *ad l. si v. non remuner. 12. §. 12. mandat. lit. K.* tamen cum perso-

nam



nam respicit, ut hinc, laudationem quandam potissimam involvit. v. d. l. si epistol. 65. in fin. pr. de A. R. D. d. l. 12. §. 12. ff. mandati. quod eleganter expressit B. Dn. Lutherus 2. ad Corinth. 3. vers. 1. nostro sermone istiusmodi literas *Lobe: brieffe* dicens, cum regulariter aliàs à nostris etiam *Commendation-* item *Recommendation-* *Schreiben* appellantur.

VI. Sub voce tamen hac, tanquam generaliori, complectimur etiam credentiales seu literas credentiæ, (quod vocabulum 2. *Feud.* 17. pro arcano vel secreto positum, teste Gothofred. *ibid. lit. H.* legimus) dictas etiam aliis fidei. Stracch. d. tract. n. 31. seu fiduciales, Wiefenbach. ad tit. mand. n. 3. Germanicè *Creditiv/Creditz* vel *Credenz: brieffe*. Johann. Rudinger. singular. observat. centur. 1. observ. 97. Gothofred. ad l. *Lucius Titius.* 24. ff. de fidejussorib. lit. 2. Vinnius ad rubr. *Inst. de mandato.* quæ non tantum personis publico munere, legationis nimirum, fungentibus, v. Frederici de Marselaer *legat. lib. 2. dissert. 6. per tot.* Joh. Jacob Speidel. *Specul. observat. jurid. sub voce Commendation- Schreiben.* sed & quibuslibet privatis, conceduntur. vid. Nicol. de Passer. p. 518. n. 3. Mascardus de *Probation. conclus. 1008. n. 16. ubi: non procedat in literis credentiæ, quas sæpè mercatores alteri mittunt.* Stracch. l. d. qui de literis, quæ in usu frequentè mercatorum sunt, agens, has etiam iisdem annumerat. & n. 32. originem earum pluribus edocet. Legatos tamen à latere, de quibus v. c. 3. c. volentes 8. cum seq. X. de off. legati. 6. ad eminentiam 20. de sententia excommunicat. CC. excipere autor est Schonbornerus lib. 3. *Polit. c. 29.* idque per c. nobilissimus dist. 97. qui tamen canon, quantum probet, ex inspectione ejusdem cuilibet patebit.

VII. For-



VII. Formatae verò Canonicae, non quidem illae, quibus ipsimet Patriarchae fidem suam exponebant, & se invicem convenire ostendebant, juxta Dn. Ziegler. *in Lancelot. Inst. lib. 1. Tit. xi. §. 1. p. 81. pr.* sed quae Clericis, extra Ecclesiam ministrare, *c. extraneo 7. dist. 71.* vel Clericatum in aliena Ecclesia suscipere, cupientibus, *c. hortamur. penult. & seq. dist. ead. cum dist. seq. per tot.* aut pietatis & religionis ergò peregrè abeuntibus, *l. si qua 22. §. 2. C. de Episcopis & Clericis.* concedi debent, licet commendatitiarum nomine veniant, tamen huc non pertinent. videantur de iis CC. *ad c. fraternitatis. X. de Clericis non residentibus.* Straccha *n. 30. per tot.* Nic. de Pasferib. *p. 525.* ex quibus illud saltem liceat repetere, quod aliae sint commendatitiae, aliae dimissoriae, quamvis interdum promiscuè, etiam in ipso jure Canonico, hi termini sumantur. *c. 1. dist. 73. ibi: cui etiam has dimissorias sive NB. commendatitias literas facimus.* Dimissoriae enim propriè loquendo illae sunt, per quas dimittuntur Clerici à jurisdictione Praelati. Strach. *l. d.* Quibus non incongruè comparaveris testimoniales, quae hodiè militibus à potestate praefecti militaris dimissis vulgo Abschied dictae, dantur. Quin & apud Romanos jam olim simile quid obtinuisse *ex l. si solennibus 7. C. de fid. instrument. junct. l. pen. de desertor & occultator. lib. XII.* colligimus.

VIII. Sed longius forsan excurrimus, redeamus ad rem ipsam, & quae tandem sint illae commendatitiae, ex quibus obligatio nascitur, clarius dicamus. Sunt autem tales scripturae, quae praeter commendationem personae, vel dolum scribentis, vel consensum ejusdem, de sese pro commutato obligando, continent.

IX. Duo itaque, in genere loquendo, sunt fundamenta, quibus obligatio nostra innititur. Quae antequam

B

quam



quam propius accedamus, lubet verbo etiam subiectum innuere. Diximus in th. 1. scribentem nos respicere. Intelligimus autem, uti facile colligere est, talem qui doli capax sit, & pro alio intercedere non prohibeatur, qui qualis sit, eleganter & late deducit Dn Struv. *Ex. 6. à th. 36. usq. ad th. 43. & Ex. 47. th. 37.* ad quem brevitas ergò B. L. remittimus. Unicum saltem circa mulierem observandum venit. Nempe cum illa, secus atque jure communi statutum novimus, in foro mercatorum efficaciter ex fidejussione sua teneatur, si mercatrix fuerit, & ratione mercaturæ fidem pro alio interposuerit, vid. Dn. Mevius *ad J. Lubec. lib. I. tit. 10. art. 1. n. 76. & seqq.* idque propter securitatem mercaturæ, quæ omninò postulat, ut ei operam navantes, fidem non possint limitare; sanè identitas rationis suadet, ut etiam ex literis commendatitiis, quas intuitu mercaturæ scripserit, eandem obligari dicamus.

X. Illud perinde est, an ipse commendans scripserit has literas an verò alius ejus nomine, puta institor eiusdem, vel ut nunc loquimur, Factor, *Buchhalter* / quod hodie non infrequens esse solet. quod enim quis per alium facit, ipse fecisse putatur, per jura vulgata: modo etiam de voluntate commendantis certò constet, ne fraudibus locus relinquatur. Cum enim tota die istiusmodi homines faverrimè reperiantur, qui aliorum literas tam scitè imitari norunt, ut vix ulla inter veras, & effictas appareat differentia, vid. Mascard. *conclus. 330. n. 2. & 3.* (qui, quod in transitu saltem attingo, rectè etiam asserit, non leve inde argumentum duci posse, quam infirma sit illa probatio, quæ ex nuda & sola literarum comparatione desumitur) cautè illi qui acceptat literas, hac in parte erit procedendum. Quod optime  
mè



mè mercatores nostri notant, qui non facilè solis commendatitiis fidem dant, nisi antea de mittendis iis notitiam habuerint, vel aliàs securi sint. De subscriptione quamvis idem dici queat, rectius tamen, uti & regulariter debet, illa fit ab ipso commendante. vid. Ruland. *d. tract. de commiss. p. 2. lib. 5. c. 14. n. II.*

XI. Hæc occasione subjecti: nunc ad fundamenta. Horum alterum in fraude & dolo scribentis consistere, alterum in consensu ejusdem certo ac determinato, ex th. 8. apparet. De illo prius videamus. Nimirum cum regulariter ab omni negotio dolus abesse debeat, in tantum, ut quamvis inter partes de præstatione doli nihil actum fuerit, nihilominus tacite hæc semper subintelligatur. *l. contractus 23. ff. de R. I. l. sicut certi. 5. §. 2. commodat. cum omnium conventionum substantiale seu essenziale consequens sit præstatio doli, Dn. Struv. Ex. 6. th. 24. imò planè non valeat pactum, quo hæc præstatio remittitur, d. l. contractus. de R. I. l. si unus 27. §. 3. l. tres fratres. 35. ff. de pactis. quippe quod contra bonam fidem contraque bonos mores est. l. 1. §. illud. 7. depositi. non immerito & in commendatione, tanquam negotio bon. fid., illud imprimis inspiciendum est, an quid dolo factum fuerit: de hoc enim scribentem teneri inter omnes convenit. *fac. l. consilij 47. ff. de R. I. l. & eleganter 7. §. fin. cum l. seq. ff. de dolo malo.* Hinc omnium DD. qui obligationem ex commendatitiis, merè talibus, dari negant, communis & prima ferè restrictio hæc est: nisi fraus vel dolus commendationi accesserit. Christoph. Sturcius *ad d. l. consilij. 47. de R. I. n. 21.* Dn. Mey. *d. tract. lib. 3. tit. 10. art. 1. num. 15.* Finckelthaus. *observ. 16. n. 5.* Hering. *de fidejussor. c. 18. n. 12.* Carpzov. *Jurisprud. Forens. p. 2. const. 20. def. 10. it. c. 18. def. 24. & in decis. p. 2. dec. 126. n. 12.**



XII. Committitur autem dolus, uti aliàs, ita & hic non uno modo, (*multa namq; hominibus ad malitiam via sunt*, inquit Imperator *Novell. 22. c. 15. §. 1. circa fin.*) Vel enim quis id agit tantum, ut alium decipiat, ita ut ipse inde nullum speret lucrum: puta, si quis illum, qui defert literas, falsò atque callidè laudet, divitem dicat, quem inopem, bonæ fidei virum quem fraudatorem sciverit *Finckelthaus. l. d. Dn. Mev. num. 16. & 21. Carpzov. d. def. 10. n. 5. ibi: nec enim doli judicium effugiet, qui decipiendi causa aliquem falsò laudat, & commendat. Alexander Trentacincq. lib. 3. variar. resolut. tit. de solution. resol. 18. vers. quartò & ultimò.* Vel suum etiam intendit lucrum, & tantò arctius tenetur, quantò magis in Jure nostro prohibitum, ex dolo suo commodum quærere. *l. 1. pr. l. ne ex dolo 12. ff. de dolo malo.* quod imprimis Jus Canonicum sæpius inculcat. *vid. c. ex tenore. 16. in fin. X. de rescriptis. c. cum olim magister. 33. de off. jud. delegat. c. Pastoralis 28. §. cum autem. eod. c. ex insinuatione. 50. in fin. de appellat. c. 2. circa fin. de dolo & contumac. jung. Card. Tuschus pract. conclus. lit. D. concl. 581. per tot.*

XIII. Quomodo autem quis ex dolosa commendatione lucrum quærat, satis superque quotidiana docet experientia. Nos majoris illustrationis gratia unicum saltem recensebimus casum, quem JCrus Cajus *in d. l. quod si cum scires. 8. ff. de dolo malo* nobis suppeditat. Nempe si quis creditor, dissimulans se talem esse, debitorem suum, quem mox decocturum novit, alteri falsò laudet, ac commendatione sua procuret, ut recipiens commendatitias pecuniam vel merces, fide de pretio habita, ipsi credat, unde sibi de suo credito satisfieri possit, is manifestò sanè deceptione sua hoc potissimum intendit, ut emolumentum aliquod sibi acquirat.



rat. Similem refert de servo, qui hortatu domini sui ab alio pecuniam mutuò sumpsit, ut domino solvat, Paulus in *l. Servus tuus* 20. pr. ff. eod. fac. *l. pen. in fin. de Jure dotium. l. si quis* 52. §. cum Titio 21. de furtis. conf. Carpzov. part. 2. const. 20. def. 10. n. 7. Dn. Mev. n. 18. & seqq.

XIV. Neque verò hunc dolum solertiam negotiativam dixeris, quæ regulariter in foro externo non prohibetur. *l. in causa* 16. §. penult. ff. de minorib. *l. item* 22. §. fin. locat. conduct. (in quarum ll. explicatione tamen varie sese torquent interpretes, vid. Gothofred. ad *d. l. 16. de minor. lit. X. & seq.* Dn. Struy. Ex. 23. th. 20. & ab hoc allegati. Schnobel. disp. 11. ad ff. th. 9. ibiq; Excellentissimus Dn. D. Adrianus Beier Patronus meus & Præceptor etatem colendus. Gothofred. Fibig Colleg. legal. public. Ex. 11. quæst. 3. & imprimis Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 26. et lib. 3. c. 1. §. 7. & seq.) non enim hæc adeò extendenda est, ut & illa circumventio, quæ malitiam quandam & propositum fallendi proximum, continet, hoc nomine pallietur, quippe cui revera doli definitio, quam ex Servio & Labeone tradit Ulpianus in *l. 1. §. 2. de dol. mal.* competit. Taceo textum expressum in *d. l. quod si cum scires. 8. eod.* contrarium docere.

XV. Sed quid si suspicionem doli mali saltem quis incurrat, quod forte tum temporis, cum quæreretur, notitiam habuisse dicatur, quo in cardine res commendati versarentur, neque tamen certò id ipsum constet, an juramentum purgatorium ipsi commendanti possit deferri, quæri solet? Sane cum pro regula habeatur, quod dolus non sit præsumendus, Menoch. de præsumpt. lib. 5. præf. 3. n. 14. idq; ex ea ratione, quod quilibet præsumatur bonus, arg. *l. meritis. pr. ff. pro socio.* seu quod idem est, præsumptio regulariter in meliorem partem



feri debeat, Dn. Struy. *Ex. 28. th. 18. n. 3.* tum etiam affirmanti incumbat probatio, *l. 2. ff. de probat.* recte forsitan is, qui intentat dolum, eundem probare tenebitur, in tantum, ut purgatione quadam à parte commendantis minime opus esse videatur. *l. Quoties opera 18. §. 1. ff. de probat. l. 6. C. de dol. mal.* Tuschus *l. d. n. 14.* Verùm hisce non obstantibus pro affirmativa potius concludendum esse arbitror, modo, uti semper in hoc juramento requiritur, Struy. *Ex. 17. th. 46. n. 2.* commendans sit persona fide digna. Cum enim dolus in animo consistat, & hinc non nisi conjecturis probari possit, si hæ non sufficiant, utique standum erit dicto asserentis cum juramento, Mascardus *de probation. conclus. 414. num. 3.* imprimis si bonitatis præsumptio, quam dixi, pro ipso militet: quippe quæ tanquam fortior, contrariam suspicionem multò debiliorem facile potest elidere. Ita Hering. *d. c. 18. n. 15. & seq.* qui etiam testatur, se meminisse, hoc casu aliquando ad instantiam creditoris, commendanti pro purgatione juramentum fuisse delatum.

XVI. Parum à dolo abest temeraria commendatio, quando aliquis promiscue quemvis laudat, & effuso nimis sermone alterius facultates extollit. Hanc enim temeritatem causam esse, quo magis non quo minus quis obligetur, cum Hering. *l. d. n. 11.* affirmare non dubito, propter *l. Julianus 13. §. 3. ubi: non debuit facilis esse ad temerariam indicationem. ff. de act. empt.* vid. *Trenacing. lib. 1. var. resol. tit. de dolo resol. 2. n. 5. vers. undecimo. ibi: præsumitur in eo dolus, qui asserit scienter illud, de quo non est certus, an sit, vel non, & asserit pro firmo, cum non sit verum.* maxime si lucrum intendatur. Unde non sine causa Dn. Mey. *l. d. num. 19.* proxenetas admonet,



monet, ut à temeraria aliorum laudatione abstineant. Cum enim hoc genus hominum plerumque ad lucrum vel turpiter faciendum pronius sit. Straccha *de proxenetis part. 3. n. 21.* sæpius sui lucri causa, accepto scilicet salario, emptores idoneos affirmant, qui minimè tales sunt: quo ipso tamen actioni de dolo sese obnoxios faciunt. Stracch. *d. part. 3. n. 20.* C. J. A. *ad tit. de proxenet. thes. 2. in fin.* Nec obstat, quod proxeneta ex commendatione sua non obligetur, cum 1. non sponte sed imploratus ministerium suum præbeat. 2. nomen contrahendum potius monstret, quàm contrahi mandet. *l. 2. ff. de proxenet.* & 3. nemini suum officium damnosum esse debeat. *l. 7. ff. testam. quemadm. aperiuntur:* fallit enim hoc, si 1. non nudè laudet, sed affirmet. 2. salarium accipiat, & 3. sciat eum quem laudat non esse solvendo, vel quod eodem, ut modo dictum est, recidit, temerè idoneum dicat, cujus facultates parum sibi perspectas habet. vid. Stracch. *l. d.*

XVII. Hactenus de primo fundamento. Alterum diximus in consensu ipsius scribentis specialiori, & ad certum negotium, quod in literis forte expressum, determinato, consistere. *vid. th. 8.* Cum enim omnis obligatio præsupponat consensum, *l. 1. §. 3. ff. de pactis.* sive expressum, sive tacitum seu præsumptum, vid. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 33. & seqq.* Nostram quoque in eodem fundatam esse, negari non poterit. Quomodo autem consensus iste ex literis erui debeat? in eo cardo controversiæ vertitur. Equidem si verba adsint expressa, minus habet dubii. Ita si quis dicat: *Commendo tibi hunc virum, & peto, ut ope consilioq; & si egeat, pecunia juves,* satis declarat mentem suam de sese pro commendo

dato



dato obligando. *fac. l. Lucius Titius 24. ff. de fideiussor.* ubi vid. DD. in primis Bartol. add. Dn. Mev. n. 25. Ruland. *de commissar. l. d. n. 15.* Ruding. *centur. I. observ. 97.* Quod si adjiciat, *super me, & meo periculo*, vel ut mercatores nostri loqui amant, *meo risico* (quo nomine quid & quantum veniat, eleganter docet Straccha *d. tract. de assecurat. gloss. 16. per tot.*) item *conto*: intercedendi animum adesse cuivis patet. *vid. d. l. Lucius Titius de fideiussor. l. si verò non remunerandi 12. §. 13. ff. mandat.* Stracch. *gloss. II. n. 35.* Schneidevvin. *ad pr. Inst. mandat. n. 7.* Trentacinq. *d. resolut. 18. de solut. vers. Secundo non procedit.* N. de Passerib. *pag. 521. n. 15.* Mascard. *conclus. 628. n. 7. & 1008. n. 20.* Finckelthaus. *d. observ. 16. n. 6.*

XVIII. Idem dicendum, si in genere talia in literis verba inveniuntur, quæ communiter in obligationibus adhiberi solent. *l. Dominos ult. vers. nisi specialiter. C. quod cum eo qui in aliena potest.* puta si quis promittat securaturum solutionem, *Erwolle darob seyn / oder verschaffen / daß die Bezahlung folge. fac. §. 3. Inst. de inutil. stipulat.* non enim tam factum alienum, quam proprium promississe videtur Vinn. *ad d. §. 3. num. 2.* Dn. Carpzov. *part. 2. decis. 126. per rot. in primis tamen n. 14. & seq.* ubi ex Baldo *ad rubr. C. de contr. empt. quest. 9. & alius DD. monet, quod verba non censeantur otiose posita, nec ullum verbum ne minimum quidem, quia nec syllaba in conventionem dicta, sine virtute & mysterio aliquid operandi esse debeat.* Quibus a stipulatur Gothofred. *in notis ad l. si quando 109. pr. vers. frustra. lit. z. ibi: verborum interpretatio ea sumenda est, ut nihil frustra adiectum videatur. ff. de legat. 1.* Qui ergo operam alicui rei præstandam spondet, ut hic, effectum etiam ejusdem præstare tenebitur. Sed anne in tantum, ut, quamvis omnem adhibuerit diligentiam, nec



nec profecerit, non liberetur? Puto quod sic *per d. §. 3. Inst. de inutil. stipulat. l. si heres. 73. de legat. 1.* qui textus indistinctè loquuntur. vid. Vinn. *l. d. C. J. A. ad tit. de Verb. Obl. th. 35, num. 3.*

XIX. Quod si aliquis hunc in modum scripserit; *noli dubitare de Titio, quia nolo quod damnum patiaris*: an hæc verba consensum scribenti præjudiciale importent, quæri solet? Et quamvis primâ fronte videantur saltem exhortatoria, quæ non nisi certo casu præjudicant, Schneidevvin. *l. d. n. ult. Ruland. n. 16. Mascard. conclus. 628. n. 12.* tamen si penitiùs inspicias, satis determinata, & hinc obligatoria esse, omninò fatendum erit. Qui enim dicit se nolle, ut alter damnum patiatur, is re ipsâ fidem suam pro commendato interponit, & indemnitatem alteri promittit. Nic. de Passerib. *sub tit. de epistol. exhortatio. p. m. 531. n. 5. & seqq.* qui hoc in primis urget, quod qui consequens vult, etiam antecedens, sine quo nempe ad consequens pervenire nequit, velle debeat, *arg. §. 2. Inst. quibus manum. non licet. item l. 56. & 62. ff. de procuratoribus.* (de cujus argumenti efficacia vid. Nicol. Everhard. à Middelburg. *loc. argumentor. legal. in loco à concessione consequentis ad concessionem anteced. 126.*) *allegat tamen ibid. n. 6. pro negativa pugnantes Alexand. consil. 199. n. 7. jung. Straccha n. 28.*

XX. Faciunt huc illa etiam verba, quæ in literis fidei in primis adhibentur: *Tali latori de intentione nostra plenariè informato dabis plenam fidem*, Stracch. *n. 37.* quæ tamen strictè esse intelligenda facile largior. Et frustra DD. quærunt, an is, cui traduntur hæc literæ, contractum possit cum commendato celebrare, in præjudicium ipsius scribentis? Bartol. *l. d. Straccha d. n. 37. N. de Passerib. p. 521. n. 19. Trentacinq. cit. resolut. 18. de*

C

*solut.*



*solut. vers. secunda conclusio est.* Mascard. *d. conclus.* 1008. n. 17. Quippe qui ipsi hoc ne eo quidem casu concedunt, quando lator dixit, sibi mandatum esse, ut cum eo, cui offert literas, contrahat. Nisi forsan illos de æquitate disputare dicas, huic enim nonnunquam convenire, ut is qui accepit literas, si damnum occasione hujus contractus passus sit, scribentem in subsidium habeat obligatum, non repugno.

XXI. Illud tralatitium est, quod, si commendatus quædam referat, quæ malam fidem respiciant, puta, si ad spoliandum vel furandum pertineant, fidem in iis non mereatur; non obstante eo, quod plenam ipsi fidem adhibendam esse scribens voluerit. Indubitati enim juris est, nullam inde dari obligationem, cum rei illicitæ mandatum inter mandantem & mandatarium non pariat effectum, *l. si remunerandi* 6. §. 3. ff. *mandati*. §. *Illud quoq;* 2. *Inst. eod. fac. l. creditor* 60. §. *Lucius Titius ult. ff. d. t.* vid. tamen Trentacinq. *l. d. vers. nota in hac conclusione*.

XXII. Addamus potius, quid de hisce statuendum sit verbis: *Tabellario seu latori mearum literarum mandavi, ut meo nomine faciat quicquid voluerit?* Et puto esse perspicua, atque ad inducendum mandatum sufficientia. *v. l. i. §. i. ff. quod jussu.* quamvis & hîc fines mandati diligenter custodiendi sint. *l. s. pr. ff. mandat.* unde rectè Baldus *in d. l. fiunt. C. quod cum eo qui in alien. potest. n. 4.* monet, sub hoc generali arbitrio casum specialiter prohibitum, v. gr. donationem, aut similem, non contineri. Quæ enim speciale mandatum desiderant, *qualia inter alios recenset Vinn. i. select. quest. 9.* sub generali non transeunt, juxta tritissimum Jctorum canonem: qui non tantum in priyatis procedit negotiis, sed etiam in publicis.



publicis, & tantò magis quidem, quantò hæc illa superant. vid. Frider. de Marselaer. *d. tract. dissert. 4. pag. m. 269. pr.*

XXIII. Sed satis, pro temporis & instituti nostri ratione, de verbis, quod si hæc deficient, unde consensus scribentis argui possit? porrò videamus. Dicimus autem mentem tum inspiciendam esse. Sicut enim legis mens sapius latior est ipsis verbis. *arg. l. illud questum est. §. 2. pr. ff. ad L. Aquil.* Dn. Struv. *Ex. 2. th. 48.* ita & in privata scriptura nonnunquam plus aliquem voluisse, aut sensisse, quam verbis expressit, ex diligenti ejusdem inspectione apparebit.

XXIV. Colligitur verò hæc mens ante omnia & plenissimè ex circumstantiis, quæ forte adjectæ sunt. Cum enim hæc possint multis modis rem ipsam variare. *arg. l. si non sortem. 26. §. libertus 12. vers. Et Celsus. ff. de cond. indeb.* Dn. Struv. *Ex. 1. th. 59.* non solum in civilibus, sed & criminalibus, *l. aut facta. 16. §. 1. ff. de pænis.* v. Dn. Tabor. *in analect. ad Barbos. lib. 3. cap. 19.* quid mirandum, si & profusum, seu generaliter prolatum, sermonem interdum restringant? Benè itaque hæc ponderandæ & diligenter de singulis circumspiciendum est. *c. licet causam. 9. X. de probat.* Unde autem desumantur, eleganter docet Claudius Saturninus *in d. l. 16. de pænis.* septem exhibens modos considerandi delictorum genera, qui optimè ad quævis negotia possunt applicari, item Paulus *in l. Eius artificij 16. §. 1. de operis libertor. fac. text. 2. Feud. 28. §. 1. vers. bonus tamen judex variè ex personis, causisq. definiet.* *l. Pedius 4. §. 1. in fin. ibi: Et omninò, ut in cæteris, ita huiusmodi causis, ex personarum conditione, & rerum qualitate, & diligenter sunt æstimandæ.* *ff. de incend. ruin. naufr. ag.*



XXV. Nos relictis aliis consideremus tantum illas circumstantias, quæ ex persona tam commendantis, quam commendati, desumuntur. Quod ad illam, inter omnes convenit, quod si is, de quo scribitur, sit institor, seu Factor, scribentis in certa negotiatione, quamvis literæ non sint multum speciales, tamen hæc earum mens sit, ut ipsi institori in illa negotiatione, cui præpositus est, plena fides tribuatur. Si enim absq; his literis dominus ex facto institoris, licito quidem, tenetur. *l. i. & seqq. de instit. action.* multò magis accedentibus illis. Ita Bartolus *l. d.* quem sequitur Mascardi *d. conclus. 628. num. 4.* Trentacinq. *l. c. vers. hæc conclusio.* Schneidevvin. *n. 8.* Speidel. *Specul. observ. 16. voc. Commendation. Schreiben.* Finckelthaus. *d. observ. 16. n. 10.* qui subjungit, quod in terminis ita tradat Vitalis de Camban. *tract. clausul. in clausula: Enunciativa verba in Epistolis prolata, n. 2.* Provocant autem DD. commun. ad *l. cuicumq; 5. §. Sed cum fullo 10. vers. Planè si affirmaverit. ff. de inst. action.* sed hanc sententiam inde non probari, Raphaëlem Cumanum ad *d. l. Lucius Titius de fidejussor.* asserere, autor est Nicol. de Passer. *p. 520. n. 12. it. Stracch. n. 34.* qui tamen rectè communem vindicat. confer. etiam Gothofred. ad *d. l. Lucius. lit. 2.* & Carpzov. *d. decis. 126. n. 20.* quorum ille idem de procuratore, hic de institore, qui principalem de fide commendat, inverso planè, atque modo diximus, casu affirmat.

XXVI. Similem circumstantiam ratione commendantis potissimum observandam suppeditat nobis idem Carpzov. *ind. decis. n. 19. & seq.* ubi proponit casum de nobili quodam, qui pro subditis apud alium intercedens, intercessionalibus hisce tantum effecerat, ut alter frumentum subditis suis mutuò dederit, quibus deinde



deinde non solvendo existentibus creditor ipsum nobilem convenit, quærebatur an jure? Et rectè affirmat, hanc inter alias decidendi rationem afferens, quod creditor qualitatem intercedentis in primis respexisset, & eo intuitu rusticis pauperibus fidem dedisse censeretur, quod Dominus facili negotio illos ad restitutionem frumenti cogere posset. *vid. d. Autor. qui pluribus hoc deducit, & præiudicio Scabin. Lipsiens. illustrat.*

XXVII. Circa hanc, commendati personam dico, apprimè observandum est, an nota sit illi, cui literæ porrigendæ, an verò ignota. Prior casus huc non pertinet. De posteriori autem quæritur, an intercessionem seu mandatum tacitè inducat, etiam si in terminis quodammodo generalibus scribens manserit? Videtur fanè id omninò ex singulari, quæ in commendato occurrit, circumstantia colligendum esse. Cum enim scribens facile sibi persuasum habuerit, neminem ignoto fidem daturum esse, non potuit non aliud suis, utut obscuris, commendatitiis, intendisse, quam ut fidem suam pro hoc ignoto aut peregrino interponeret, nisi fortè frustra hasce literas intervenisse dixeris, quod tamen non verisimile videtur, *per ea quæ supra th. 18. adduxi.* Nec obstat, quod alii dentur fines commendatitiarum, *sicut in præmio pluribus docui,* & hinc non rectè ad unum præcisè inferri possit; præsupponimus enim terminos habiles, i. e. talem casum, quo quis non unice ignoto benevolentia officia exhiberi voluit: sed fidem procuravit in tantum, ut alter merces vel pecuniam eidem credere non dubitet. *vid. Dn. Mev. l. d. n. 40.*

XXVIII. Procedit hoc in primis in foro mercatorum. Ratio est in promptu, quoniam inter mercatores rogatio seu persuasio de credendo merces alicui ignoto,



pro fidejussione habetur, propter fidem exuberantissimam, quæ in dictis personis requiritur. v. Tuschus *pract. conclus. lit. M. conclus. 207. n. 6. ubi: Interest plurimum mercatorum, conservare quod eis fides adhibeatur, quia magna est verecundia mercatoribus, si non servant promissa.* (malè tamen, quod obiter liceat monere, ibid. mercatores propter simplicitatem, quam in scriptis, seu verbis, sequuntur, idiotas dicit. Non enim ideò amant simplicitatem, quia, ut idem loquitur, *subtilitatum non habent cognitionem*, sed ut sese dictæ fidei, quæ ab illis desideratur, eò magis conforment; huic enim non congruit de apicibus Juis disputare, *uti eleganter Ulpianus in l. si fideiussor. 29. §. 4. mandat.* partim, ut lites & disceptationes fori, quæ in infinitum crescerent, meliùs evitentur. Hinc & ipse statim suam videtur corrigere sententiam, addens: *Hodie contrarium est verius, quia non sequuntur antiquam simplicitatem, imò, ut notissimum, subtilizant nimis in foro contentioso, prout alij quicumq;.*) Facit huc consilium Joannis Rudelii, de quo Hering. *d. tract. c. 18. n. 14.* ubi mercator persuasus & rogatus per literas alterius mercatoris, ut tertio ignoto merces suas crederet, damnificatus postea propter persuasionem tertii, damnum à persuadente rectè repetiit, *per l. si literas 7. C. mandat.* sunt verba d. Autoris, cui astipulatur Finckelthaus. *d. observ. 16. n. 7. & 8. Köppen. decis. 36. n. 9. it. Dn. Carpzov. constit. 18. def. 24. n. 7. addens præiudicium de A. 1632. mens. Septemb. in causa Michael Wolchen contra Veit Franken. in quo Lipsienses: Weil ihr selbstem berichtet / daß ihr Veit Franken einen Kauffmann gebeten / Nicol. Helbrichen ewrem Freunde so gedachten Fr. NB. unbesandt gewesen / die Wahren absolgen zu lassen / dabey auch außdrücklichen gesagt / daß er es auff ewer Gefahr thun soll. &c. So seyd ihr / wenn ihr auch gleich kein Kauff.*



Kauffmann weret / vor ewern Freunde zu haften / und die Zahlung zu leisten schuldig. V. N. W.

XXIX. Non incommode huc trahi poterit statutum Lubecense *lib. 1. tit. 10. art. 1.* cujus verba, cum non parum hanc rem illustrent, lubet ascribere. Ita autem illud: Will jemand einem Frembden sein Gut nicht verkauffen / und ein ander stehet dabey / und saget / ihr möget es ihme wohl vertrauen / die Bezahlung wird euch wohl. Wird der Verkäuffer von dem Käuffer nicht bezahlet / so muß derjenige zahlen / welcher den Frembden loben thät / dadurch der Verkäuffer verführet worden. vid. Dn. Mev. *ibid. in primis n. 31. & seqq.*

XXX. Plane si quis nimis generalibus utatur verbis. ex. gr. Er ist ein guter Kerl / vel si non tam persuadendi, quam nude laudandi animo dicat, & de sua persona loquatur. Ich habe oft mit ihme zu thun gehabt / kan mich nicht über ihn beschweren. Item, er hat richtig eingehalten. ne inter mercatores quidem illum teneri verius est, vid. Dn. Mev. *n. 37.* Elegans hanc in rem succurrit ratio, quam Imperator noster in *S. I. Inst. de testam. militar.* suggerit, nempe quod ipsorum mercatorum maxime intersit, ne fides nimis extendatur, cum quodvis verbum, ab ipsis prolatum, ita facile captari, & contra juris rationem, ac æquitatis benignitatem, *uti concinne Modestinus in l. nulla Juris. 25. ff. de ll.* id quod in ipsorum commodum est introductum, in odium eorundem retorqueri possit.

XXX. Illud vix dubium habet, quod si quis noverit ignoti, sibi commendati, res aliter esse comparatas atque commendans dixit, nullus ipsi adversus commendantem detur regressus, sibi enim imputet, quod alienam laudem, quam falsam scivit, propria scientia prætulit, uti optime Dn. Mev. *n. 34.* cui addi poterit, quod singula-



singularis illa circumstantia, de qua haecenus, hoc casu cesset, ergò etiam effectus exinde resultans. Majorem præ se fert speciem altera, quam *idem Autor num subseq.* tangit, quæstio: An nimirum commendans, si excipiat potuisse illum, qui tam facile sese in credendo merces ignoto, præbuit, meliùs in conditionem ejus inquirere, audiendus sit? Cum enim jus nostrum expressè requirat, ut quilibet non ignarus sit conditionis ejus, cum quo contrahit *l. Qui cum alio. 19. ff. de R. I.* ubi v. Sturc. *n. 1. & seq.* it. Everhard. Bronchorst. *ad Tit. de R. I. ibid.* forte huic creditori illud Imperatoris, *disce cautius mercari, in l. incivilem. C. de furtis.* occini posse dixeris, vel *ex Pomponio in l. penult. ff. ad SCT. Macedonian.* paria esse, scire, aut scire potuisse. Quin quod in puncto societatis Imperator *in §. ult. Inst. de societ. vers. nam qui parum.* pronunciat, idem hic utiliter adhiberi posse videtur, scilicet de se queri & sibi imputare debere, qui parum diligens in perquirendo fuit. Verùm hæc & similia non tanti sunt, ut commendantem sublevare possint. uti recte Dn. Mev. *ibid. qui subiungit se meminisse reiectas esse huiusmodi exceptiones.* Ratio est, quod commendans ex suis verbis obligatur, quæ sola moverunt alterum, ut de jure aliàs requisitam investigationem omiserit, fidemque commendato dederit. Quod si verò credulitas alterius prodesset commendanti, parum abesset, quin sese deceptionis reum faceret, quippe qui sua persuasione huic credulitati anam dedit. v. Dn. Carpzov. *d. decis. 126. n. 11. & seq.*

XXXII. Ex dicta haecenus obligatione, duo imprimis, pro duplicitate nimirum fundamenti, remedia oriuntur, quorum altero dolus vindicari, altero creditum ipsum repeti potest. Prius est actio seu iudicium doli,



doli, quod non incongruè *omnium malitiarum everriculum* Ciceroni dicitur. Hoc experitur ille, qui dolosa commendatione se circumscriptum docet, adversus scribentem, qui dolum in literis adhibuit, ad persequendum id, quod propterea ipsi abest, cum omni causa & interesse. *l. 1. §. 1. l. quod si cum scires. 8. ff. de dol. mal.* Dn. Carpzov. *part. 2. const. 20. def. 10. n. 5. & in d. decis. 126. n. 12. cum duobus seqq.* C. J. A. *ad tit. de dol. mal. §. 15.* Dn. Mev. *n. 16.* Neq; obstat, quod hic negotium b. f. subsit *sicut supr. th. xl. diximus.* in quo circumscripto actionem doli competere negari solet ab Interpretibus, præsertim illis, qui, juxta veriolem Citramontanorum sententiam, statuunt, contractum b. f. cui dolus causam dedit, ipso jure nullum esse, vid. Vinn. *1. select. quest. 12.* Hoc enim sine dubio ita intelligendum erit, ut adversus reum principalem, qui dolosa quadam machinatione, vel circa contrahendum, vel contractum jam, negotium, usus est, non detur: de tertio verò interveniente, (qualis hoc loco commendans, mandatoris sive fidejussoris vices sustinens, habetur) si per dolosam persuasionem causam det contractui, secus omninò dicendum erit. *fac. l. 2. ff. de proxenet.* Dn. Struv. *Ex. 8. th. 29.*

XXXIII. In proponenda tamen hac actione non negligenda sunt illa, quæ regulariter juxta naturam ejusdem, observanda veniunt. v. gr. quod interdum verbis temperatis *l. non debet. 11. §. 1. in fin. de dol. mal.* item, non nisi in subsidiū, intentanda sit, *l. 1. §. 1. & 4. l. & eleganter. 7. §. 4. eod.* D. Struv. *Ex. 8. th. 36.* (quo posteriori, quod *in transitu saltem attingo, magistralis illa, quam dicunt, actionis in nativam & dativam distinctio, frustra ab aliis impugnata, non parum stabilitur,*) & quæ sunt alia huic actioni propria, quæ cum uberius DD. in sua sede profequantur,

D

quantur,



quantur, ne actum agere videar, huc transcribere super-  
 sedeo. Illud lubet adhuc quærere, an commendatus  
 etiam hâc conveniri possit? Quod negandum esse sua-  
 dent illa, quæ th. præcedenti diximus, quibus addi po-  
 terit *arg. l. Sed ex dolo 15. §. fin d. t. l. factum 155. pr. de R. I.*  
*ubi: factum cuius suum nocere debet.* Quod si tamen do-  
 li particeps fuerit, ad interesse conveniri poterit, non  
 tamen hâc doli, sed v. gr. empti, seu, pro qualitate ne-  
 gotii contracti, aliâ actione, vid. Dn. D: Beieri *not. ad*  
*Schnobel. disp. ff. 4. th. 15. verb. Ille si in B. F.*

XXXIV. Posterius remedium, quo id, quod ad  
 instantiam commendantis tertio solutum, repetitur,  
 est actio mandati, *l. Si verò non remunerandi. 12. §. si quis*  
*mandaverit. 13. ff. mandat. d. l. Lucius Titius. de fidejussorib.*  
*& quidem contraria. d. l. 12. §. contrario. 7. & §. si mihi man-*  
*daveris. 9. mandat. C. J. A. thes. 34. num. 21. cod. tit. in*  
 quam damna & interesse etiam venire dubio caret. An  
 verò sub interesse comprehendantur usuræ, quæ ex cau-  
 sa moræ, à commutato commissæ, debentur, contro-  
 verti solet. Movent equidem hanc quæstionem DD.  
 regulariter in puncto fidejussionis: cum verò commen-  
 dans instar fidejussoris sit, *ut ex hætenus dictis satis appa-*  
*ret,* & quæ in fidejussione obtinent, maximam partem  
 huc trahi soleant, non incongruè illam hîc quoque tra-  
 ctari posse puto. Negativè autem esse decidendam do-  
 cent partim textus expressi *in l. cum procurator. ult. ff. de*  
*fidejussor. ubi J. C. ius, non debet imputari fidejussoribus, quod*  
*ille propter suam pœnam prestitit. l. centum Capua 8. de eo quod*  
*certo loco.* partim DD. communiter, vid. Dn. Struv. *Ex.*  
*47. th. 42.* Magnificus Dn. Strauchius *dissert. ad Jus Ju-*  
*stinian. 14. aph. 17.* Schnobel. *disp. 23. th. 10.* Vinnius *lib.*  
*2. selectar. quæst. 10,* qui pluribus hanc sententiam rationi-  
 bus



bus propugnat, & contrarias diluit. Perez. in Cod. ad lit. de fidejuss. num. 20.

XXXV. An autem ante principalem debitorem commendans possit conveniri, videamus? Et verius est non posse. Cum enim pro fidejussore habeatur, æquum est, ut iisdem cum illo etiam privilegiis hac in parte gaudeat. Quod si ergò priori loco conveniatur, competit ipsi beneficium excussionis sive ordinis, vid. Dn. Mev. num. ult. qui rectè tamen addit, quod iisdem casibus, quibus fidejussori denegatur, quos præ aliis latè recenset Carpzov. p. 2. const. 8. def. 5. & multis sequentibus huic etiam denegandum sit.

XXXVI. Sed quid, si is, qui commendatitias acceptavit, fines mandati excedat? v. gr. si quis scripserit: *Commendo tibi Titium, petoq; ut ope & consilio, atq; si egeat pecunia, usq; ad centum, vel ducentos florenos, juves, hic verò trecentos solvat*: an nihilominus hoc contrario iudicio scribentem habeat obligatum, non eadem omnibus est sententia. Cum enim mandatum ratione executionis strictissimi juris dicatur, quidam Juris nostri auctores putabant, huic omnem denegandam esse actionem; quorum tamen sententiam, quasi benignitati quodammodo invidiam, rectè rejecit Imperator, §. 8. *Inst. de mandato*. æquiores Proculi, qui usque ad summam mandato comprehensam agi posse docuit, amplectens, *conf. l. 3. §. ult. cum l. seq. 4. ff. eod.* De excessu autem disputant adhuc Interpretes, vid. Dn. Struv. *Ex. 22. th. 12. Vinn. ad d. §. 8. Inst. n. 5. & 6.* Equidem si retentionis vel compensationis remedio uti quis possit, res salva est, si secus, stricto quidem jure nullam superesse actionem fateor, de æquitate verò utilem negotiorum gestorum concedendam esse, verius videtur; modo solutio illa  
b. f.



b.f. etiam congruat. Hinc illum qui filiofam. sibi commendato, merces forte pretiosiores in vestimenta supeditaverit, aut modum in credenda pecunia excedens, luxuriei ansam dederit, exceptione doli à scribente repelli posse constat. *fac. l. creditor. 60. §. ult. ff. mandat. add. th. 21. supr. Dn. Struv. Ex. 20. th. 53. in med.*

XXXVII. Dicendum nunc esset de modis, quibus obligatio nostra tollitur, verum quoniam vix aliquid singulare hac in parte notandum occurrit, cum similiter ferè ut mandatum, vel morte, vel contrariâ voluntate, tum utriusque, tum alterutrius, si res integra sit, solvatur, & præterea temporis injuria prohibeat longiores hinc moras trahere, nolo in iis recensendis esse prolixior. Hoc saltem non prætermittendum duxi, quod mortuo ante epistolam ab altero acceptatam scribente, obligatio nulla sit, cum negotia, quæ literis contrahuntur, non perficiantur, antequam acceptatio accesserit, vid. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 33.*

XXXVIII. Concludant itaque Dissertationem nostram ea, quæ affinitatem quandam cum dicta hætenus obligatione habent, qualia sunt mandatum & fidejussio. *v. t. t. ff. & C. mandat. & de fidejussor.* obligatio proxenitarum, de qua Straccha *in integr. tract. de Proxenet.* item verba admonitoria, consultatoria, laudatoria, suatoria, exhortatoria & similia, quorum integrum nobis catalogum exhibet Magnif. Dn. Rebhan. *in sua Hodeget. chart. 3. clim. 4. parall. 7. §. 18. in exegef. pag. 560. edit. noviss.*

Tantum.

DEO TRIUNI SIT LAUS, HONOR,  
ET GLORIA.



Strassberg, Diss., 1674-75

X 2617022

VD 17









*G. 78. num. 26. VI.*  
~~7. 4. 1~~

AUGURALIS  
 CA

*1674, 1.*

TIONE

ENDATITIIS,  
 M

O NUMINE  
*Decreto*

AMPLISSIMI

ULTISSIMI  
 RDINIS

*sium Academia*

NTIA

re HONORES

TORALIA  
 endi

m Examini  
*H.L. q. S.*



AMSINCK

nsis.



RATI,

RICI SPOOR.

LXXIV.